



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Locorum co[m]munium Ioannis Eckij,
aduersus Lutheru[m] & alios hostes Ecclesiae**

Eck, Johannes

Antverpiae, 1541

22 De Bello in Turcas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35599

DE BELLO

eum Iudas Simonis Iscariotes, & tamen postea adhuc magis intrauit, & possedit eum diabolus, eodē Iōā dicēte: Et cū intinxisset panē, dedit Iudæ Simonis Iscarioth, & post buccellam introiuit in eum satanas.

De secūdo

Excommunicatio est medicinalis, verum si non contemnatur, nam ex fide dicitur medicinalis, quia ordinatur in hunc finem, quod ille resipiscat, & pœniteat, ac satisfaciat Ecclesiæ: nullus autē amabit excommunicationem, nisi qui obstinatus magis vult tradi satanæ, quàm seruire Christo, & ab ecclesia haberi sicut ethnicus & publicanus: vnde Grego dicit: Sententia pastoris, siue iusta, siue iniusta timenda est, Tantum abest, vt sit amanda.

DE BELLO IN Turcas. XXII.

Sub existente rationabili causa, belligerare possunt Christiani, in Turcas & hæreticos.

Inter.

Interrogabant Ioannem & milia Lucæ
 res dicentes, quid faciemus & nos?
 & ait illis: Neminem cōcutiatis ne-
 que calumniam faciatis, & contenti
 estote stipēdijs vestris. Liqueet quia
 bellum no prohibuit, sed bellanti-
 bus modum imposuit.

Omnis anima potestatibus subli- Rom. 13
 mioribus subiecta sit, non enim est
 potestas nisi à deo, infra: Si autem
 malum feceris, time, non enim sine
 causa gladiū portat, dei enim mini-
 ster est, vindex in irā ei q̄ male agit

Vnde filij Israel à deo sibi datam
 terram promissionis nō nisi bellan-
 do obtinuerunt, vt patet in libris
 Iosue, Iudicū, & Regū. Imo voluit
 dominus deus continuum eos habe-
 re bellum contra infideles, vnde dī-
 citur Iudicum 3. Hæ sunt gentes
 quas dominus dereliquit, vt erudi-
 ret in eis Israelem, & omnes qui nō
 nouerant bella Chananeorū & po-
 stea discerent filij eorū certare cum

R 4 ho

DE BELLO

hostibus, & habere consuetudinem
præliandi.

Hier. 48 Maledictus qui prohibet gladiū
suum à sanguine.

Totum vetus testamentū plenum
est, quomodo iussu, & auxilio dei Iu-
dæi non modo restiterunt infidelibus,
sed etiam nos inuasunt Abraham
Moyse, Iosue.

2. Reg. 5 Hæc dicit dominus exercituum
(ait Samuel ad Saul) Recensui que-
cunq; fecit Amalech Israel, quomo-
do restitit ei in via, quum ascende-
ret de Aegypto, nunc ergo vade, &
percute Amalech, & demolite uni-
uersa eius, non parcas ei, & non con-
cupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed
interfice à viro vsq; ad mulierem, &
paruulum atque lactantem, bouem
& camelum, & asinum. Quis iā fuit
consiliarius domini, aut quis nouit
sensum eius, quando sit tempus, vt
velit punire Turcas per Christia-
nos, sicut puniuit Amalechitas per

Iu

Iudæos?

Hortabantur Machabæi se inuicem, dicentes: Si omnes fecerimus, sicut fratres nostri fecerunt, & non pugnaverimus aduersus gētes, pro animabus nostris, & iustificationibus nostris, citius disperdent nos a terra. Et cogitauerunt die illa, dicentes: Omnis homo qui venerit ad nos die sabbatorum, pugnemus aduersus eum, & non moriemur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri. Et collegerunt exercitum, & percusserunt peccatores in ira sua, & viros iniquos indignatione sua, & c. ita & nos Christiani, nisi aduersus Turcā crucis Christi hostem ferocissimum pugnaverimus, citius disperdet nos delebitq; Christi nomen e terra, id quod optare videtur isti rabulæ, mē tientes pugnare contra Turcā, esse contra Christi euangelium.

Surrexit Iudas Machabæus, & adiuuabant eum fratres eius, & vniver

R s si qui

DE BELLO

si qui coniunxerant se patri eius, & preliabantur prelium Israel cum letitia, & dilatauit gloriam populo suo.

Ibidem Nos pugnabimus pro animabus nostris & legibus nostris, & ipse dominus cõteret eos, scilicet gentiles, ante faciem nostram.

1. Mac. 5 Abijt Simon in Galileam, & commisit prælia multa cum gentibus.

2. Mac. 13 Dixit Simon: vos scitis quãta ego & fratres mei, & domus patris mei fecerimus pro legibus & pro sanctis prælia. Sanctissimum igitur est atq; iustissimum præliari contra infideles Turcas & hereticos, Turcis ipsis impiores, pro fidei ecclesie, diuiniq; cultus conseruatione, pro reb. pauperum & oppressorum defensione.

2. Mac. 2 Accingimini igitur o Christiani principes & estote filij potetes, esto-
teq; parati vt pugnetis aduersus nationes has impias, que cõuenerunt disperdere nos in sancta nostra, quoniam

IN TURCAS. 110

nam melius est nos mori in bello;
quàm videre mala gentis nostræ, &
sanctorum. Epist. 194

Augustinus ad Bonifacium Comi-
tem, vtile tibi tuisq; dabo consilium
arripe manibus arma, oratio aures
pulsat authoris. Et iterum ad eundē:
Noli æstimare neminem deo place-
re posse, qui armis bellicis ministrat
in his enim erat sanctus David, cui
Dominus magnum testimoniū per-
hibuit.

Lib. 22

Et contra Faustum: Ordo natura-
lis mortalium paci accommodatus
hoc poscit, vt suscipiēdi belli autho-
ritas atq; consilium penes principes
sit. Principibus dicitur: Eripite pau-
perem, & egenū de manu peccatoris
liberato. Cur tunc non liberarent de
manu Turcæ, maxime attento eo,
quod vi magnificat, & extollit cultū
Machumeti sui in iniuriam creato-
ris nostri, & quod tertiā prolem sibi
placentem aufert in ritu Machume-
tico.

Psal. 80

DE BELLO

tico nutrit in perpetuā seruitutem,
hinc gloriosissimus Carolus, Gotfri-
dus, Alphonsi, Ferdinādi, & alij in-
fidelium destructores, per orbē Chri-
stianum celebri fama laudantur: vi-
de Tomo. 1. dominica. 3. post Epiphā-
niā Homil. 5.

¶ Obijcit hæreticus.

1 Bellare contra Turcas, est repu-
gnare voluntati spiritus, visitanti
iniquitates nostras per illos.

2 Christianus oratione pugnet, nō
gladio.

3 Matthæi quinto, prohibetur de-
fensio, ne nos oppugnamus anga-
riantibus nos.

¶ Respondet catholicus.

Plures hæretici iam, sicut & Occo-
lampadius, negant omnino Chri-
stianis licere bellare, quæ fuit hære-
sis Manichæorum, vt Augu. contra
Faustum docet, & de sermone domi-
ni in monte, sed respondeamus.

De primo. Etiam si Deus visitet iniquitates
nostras

nostras per Turcam, tamen per hoc
 nō inhibet nobis defensionem, alio-
 quin quum nos visitet per famem,
 pestem, ignē, bella, morbos, nō con-
 grueret nobis vlla prouisio contra
 famem, vlla medicina contra mor-
 bos, vlla fuga contra pestē. Ita enim
 deus visitat suos, vt nō derelinquat.
 Visitabo inquit, in virga iniquitates
 eorum, & in verberibus peccata eo-
 rum, misericordiam autem meam
 non dispergam ab eo, neq; nocebo
 in veritate mea.

Psal. 33

Fateor iustum bellatorem pulsare
 deum orationibus, attamē arma in
 manu capiat eum Machabæo, nam
 Moyse orante in monte, Amalech
 vincitur gladio Iosue. Orent qui do-
 mi manēt, alij arma in Turcas ferāt.

De secūdo

Exo. 17

Ex consilijs & operibus perfectio-
 rum Lutherani faciunt præcepta, &
 quum adeo amari sint, vt nec verba
 possint pati catholicorū, etiam pia,
 serui iniquitatis volunt, vt verbera
 patia

De tertio

DE IMMUNIT. ET

patiamur Turcarum, desolationem
templorum, violationem virginum
Exo. 17 &c. Quæ enim ibi docet, præcipit in
preparatione cordis, nõ in ostensio
ne operis, ait Augustin. Sperandum
est potius post tot ærumnas, & cala-
mitates christianitatis, amissis duo-
bus imperijs, & 36. regnis, vt Deus
tandem misereatur nostri, & decan-
temus gaudenter: Filia Turcæ mise-
Psal. 136 ra, beatus qui retribuit tibi retribu-
tionem quam retribuisti nobis: vide
g. Hom. Tom. 1. de bello in Turcas.

DE IMMUNITA-
te & diuitijs ecclesia-
rum. Cap. XXIII.

Gen. 47 **I**mmunitas, & ecclesiastica liber-
tas ostenditur. Pharaõ gentilis
rex Aegy. immunitatem sacerdo-
tib. seruauit. Emit enim Ioseph om-
nem terrã Aegypti, subiecitq; eam
Pharaoni, & cunctos populos eius,
præter terrã sacerdotum quæ a rege
eis tradita fuerat, quibus & statuta
ciba-